

Secunda Regula.

Omnia natura naturaliter perfici desiderat, & destrui abhorret & fugit: ergo auidè amplectitur illud, quod sui ipsius emendatiuum, & contrarium respuit in quantum potest, & secundum istud ars debet imitari naturam, aliàs semper errat.

Tertia Regula.

Omne peius laborans in aliqua arte, de sua naturali malitia nititur melius destruere. Et omne melius laborans in aliqua arte conatur peius perficere: ergo in primis tibi sciendum erit naturas rerum, vt scias discernere quid sit melius aut peius naturæ, & vnde perficiatur, & vnde prohibeatur: & quòd quantitas peioris non excedat quantitatem melioris. alioquin maximè errabis.

Quarta Regula.

Omne siccum naturaliter appetit bibere suum humidum, vt in suis partibus sit continuatum. Hic nota quid sit humidum radicale omnium liquabilium. & tali humido cibus nimis siccum, & fiet temperatum. Et sic habebis optatum.

EXTRACTATVLO quodam probato.

DE DIFFERENTIA SVLPHV- ris vulgi & simplicis Philosophorum non vrentis.



VM generaliter Philosophus loquatur, & sulphur coagulat, dicendum quòd non: quia omne sulphur vulgi secundum Philosophum metallis est extraneum & contrarium. Avicenna: Nō intrat in magisterium quòd non est ortum ab eo: quia semper inficit & denigrat, & corrumpit, quocunque modo per artificium præparetur. Est enim ipsum ignis infectus, ergo fusionem impedit. Si verò calcinatur, in terream redit substantiam, vt puluis mortuus. Quo ergo modo potest alijs vitam inspirare? habet enim duplicem superfluitatem, scilicet, inflammam-